

quamplures in ditiones Venetorum excepti afflictis rebus per-
fugium invenere . Prælii eventus cum ad Urbinatem allatus
esset, Modoetia movere, atque ad Cassianum, ubi prius fue-
rant, castra locare statuit; quinque peditum millia sub signis
habebat, quadringentos cataphractus, ac septingentos levioris
armaturæ equites : ad hæc farcinas, atque impedimenta .
Præalta erat via, qua iter agendum erat, copias in tres acies
sejunxerat tanto intervallo, quantum, ut sibi invicem subve-
nire possent, satis esset : magna sclopetariorum manu me-
diam aciem protegebat, sinistra Cæsareanos distingere cona-
tus : levis equitatus regionem undique excurrebat; hostium
consilia explorabat, ne qua inopinato impressio fieret. Hac
arte incolumem exercitum ad Cassianum perduxit, propin-
quum Abduæ flumini oppidum, cui pons superinjectus in
Abduanam glaream transitum præbebat : hoc veluti muni-
mento exercitum tutari, circumquaque castra aggere, ac fossa
munire statuit, una tantum iter ad castra faciente via; inde
Laudi, ac Ticino succurri, damno hostes affici, Reipublicæ
fines defendi, Genuensi expugnationi magnum momentum af-
ferri poterat. Hoc ducis consilium mirifice probavit Senatus;
quamvis Joannes Maria Fulgosius Brixiam ducendas copias,
cum impares numero hostibus essent, censeret. Nam Leva re-
centi victoria elatus, jam animo de foederatis triumphum du-
cens, Urbinatem insequutus, ad Vavrium, quod duo millia
passuum a Venetis aberat, castrametatus est, cum plerique il-
lum Abduam trajecturum, Brixiensem, ac Bergomatem agros
vastaturum, vererentur. Nostri levioris equitatus numero,
ac virtute hostibus præstabant; qui circumjacentem regionem
lustrabat, ne commeatus hostibus importarentur, impedi-
ebat, tantumque terroris injecerat, ut nemo extra vallum egredi
auderet. Urbinas & loci opportunitate, & rerum copia milites
sustentabat; neque civitatibus, atque oppidis oneri erat; ad-
huc Fulgosio contradicente, atque alio adduci exercitum sua-
dente. Sæpius hinc, atque inde levioribus præliis dimicatum,
pugna male habiti hostes discedere coacti : justum prælium
imperatores detrectabant. Antonius Leva, ut aliquo faci-
nore accepta damna sarciret, Cæsarem Neapolitanum trans
Abduam ad diripiendos Brixiensem, ac Bergomatum fines
mittit.

1529
*Urbinas
Cassianum
de recipit.*

*Antonius
Leva ad
Vavrium.*

*Cæsar Nea-
politanus à
Leva trans
Abduam
missus.*